



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XLVI. Augustinum in vocatione congrua sine physica prädeterminatione
efficacem præuenientem gratiam constituisse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

tum offusio mentem occupat, ut quod evitare studeas, mente voluas, quod cauere difficile est homini, exuere autem impossibile. Et postea subdit. Non enim in potestate nostra est cor nostrum. Et adiungit. Sed nostra cogitationes, quae improuiso offusae mentem animumque confundunt, atque aliud trahunt quam tu proposueris, ad secularia reuocant. &c. Ad superandas autem, & vincendas has cogitationes requirit Ambrosius speciale gratiae auxilium, non physicam praedeterminationem. Vnde Augustinus lib. de bono perseueran. cap. 8. & lib. 2. contra Iulianum, cap. 8. & lib. 4. contra duas epistol. Pelagianorum, cap. 11. tractans haec verbis Ambrosij nihil aliud ex illis colligit, nisi necessitatem diuini auxilij, & illud inchoandum esse per sanctam cogitationem, quae in nostra potestate non est, ac demum dicta verba explicat per illa Pauli, Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.

August.

e. Cor. 3.

14.
Obicitur.
Hieronym.

Tandem obicitur nobis Hieronymus, primò in Epistola ad Cresiphontem, ubi postquam recitatur argumentum Pelagij, quod si voluntas indigeret diuino auxilio, non esset libera, illud improbat tanquam blasphemum, & impium. Nam per arbitrij libertatem, (inquit,) asserunt se nequaquam vltra necessarium habere Deum; & ignorant Scripturam: Quid habes quod non accepisti, &c. Verum tamen argumentum ab hoc testimonio sumptum eundem habet defectum quem saepe notauimus, quia ex necessitate auxilij diuini infert necessitatem physicae praedeterminationis, quae illatio nullius momenti est, ut per se constat. Sicut è contrario peccabat Pelagius ex necessitate diuini auxilij inferendo tolli libertatem quae nulla illatio est, quia auxilium excitans, & adiuvans, seu concomitans, non repugnat libertati, alias etiam dependentia quoad generalem concursum libertati repugnet, quod sensisse Pelagium in ultimo Prolegomeno diximus; & valde probabile est, illud etiam ab Hieronymo impugnari, se eius autem esset si argumentum Pelagij fieret contra solam physicam praedeterminationem: nam si illa esset semper necessaria, frustra diceretur voluntas libera, cum nunquam posset se determinare. Quia verò contentio Pelagij cum Catholicis non erat de praedeterminatione physica, ideo frivolum erat argumentum Pelagij, cui etiam Hieronymus tractando verba Pauli, Non est volentis, neque currentis, &c. occurrit, dicens: Velle, & currere meum est, (Vtique per meam determinationem,) sed hoc ipsum meum sine Dei semper auxilio non erit meum.

Rom. 9.

15.
Hieronym.

Et eundem sensum habent alia verba Hieronymi ad Ephes. 2. quae non melius pro physica praedeterminatione afferuntur, cum vel illi nullo modo faueant, vel potius repugnent: nam circa illa verba, Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, addit Hieronymus, Haec ipsa fides non est ex vobis, sed ex eo, qui vocauit vos, ubi aperte significat illud esse dictum à Paulo ratione vocationis, non ratione physicae praedeterminationis. Et in eodem sensu subiungit. Addidit itaque, & dixit, fidem quoque ipsam non nostra voluntatis, sed Dei munus, quod ipsemet exponit, dicens, Non quod homini liberum tollatur arbitrium, & secundum illud Apostoli ad Romanos, non sit volentis, nec currentis, sed miserentis Dei quod ipsa arbitrij libertas Deum habet auctorem, & ad illius beneficium cuncta referantur, cum etiam bonum nos velle ipse permiserit. ubi maxime pondeto verbum permiserit, directe enim opponitur verbo praedeterminandi, & usurpatum est ab Hieronymo in generali significatione explicando nobis quomodo diuina gratia praeueniens per vocationem, (ratione cuius dictum est illud, non est volentis, neque currentis, & illud hoc non ex vobis,) voluntatem non determinet, sed finat operari bonum, si velit. Denique similia sunt verba eiusdem Hieronymi, in illa verba Hieremiae 24. Dabo eis cor ut sciant

me. quae comparat cum illis Pauli, Deus est qui operatur in nobis velle, & vtrinque doceri dicit, quod non solum opera, sed etiam voluntas nostra Dei vultu auxilio; & capite 26. circa principium. In nostra quidem potestate positum est facere quid, & non facere, nunc duntaxat, ut quicquid boni operis volumus, ad dignitatem referamus, qui iuxta Apostolum dedit nobis velle, & perficere.

CAPVT XLVI.

Augustinum in vocatione congrua sine physica praedeterminatione efficacem praeuenientem gratiam consiuisse.

TRia in hoc titulo proponimus. Primò enim dicimus Augustinum posuisse gratiam efficacem in quadam vocatione, & hoc probauimus supra cap. 5. Secundo affirmamus illam vocationem, quae efficax esse dicitur, talem dici, & esse, quia intelligibiliter consensum obtinebit, idque habere ex congruitate quadam ad eum cui datur, quam congruitatem praesciuit Deus, & obseruauit, ut illam daret, & cum illa non solum potestatem, sed etiam velle homini donaret. Tertio negamus posuisse Augustinum efficacitatem vocationis in aliquo auxilio praedeterminante ipsi vocationi adiuncto, & ab omni auxilio excitante distincto. Et haec duo probanda à nobis sunt, & quae praecipua loca, ex quibus sumuntur, eadem ferè sunt cum illis, quibus primum punctum probauimus, idco breuiter in singulis designabimus verba, quae ad rem praesentem faciant, & illis alia testimonia, si occurrerint, adiungemus.

Primò igitur Augustinus explicat efficaciam vocationis per congruitatem ad hominem, qui vocatur in lib. 1. ad Simplician. q. 2. ubi postquam distinxit vocationem efficacem, quam vocat efficacem, & quae vocat bonae voluntatis ab inefficaci, sic concludit. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei qui hoc modo vocauit quomodo aptum erat ei, qui factus sunt vocationem. Vnde subdit inferius. Illi electi qui congruenter vocati. Et infra, Non volentis, &c. qui etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur, quoniam vocat, quomodo eis aptum est ut sequantur. Et infra, Cuius miseretur, sic eum vocat, quomodo sit ei congruent, ut vocationem non respuat.

Ad hoc testimonium quidam ex defensoribus alterius sententiae, cum non posset negare in illo esse sermonem de congrua vocatione, ausus est dicere, in omnibus quae ibi tractat Augustinus de vocatione congrua, non loqui ex propria sententia veritatem definiendo, sed solum disputando, & inquirendo vsque ad illa verba, & tamen intueamur superiora, & inde nostram quantum ipse Dominus dederit, sententiam proferamus. Nam interrogando, & respondendo, ac replicando processerat, vsque ad illa verba, quae praeseferant initium definitionis sententiae, vnde, & in margine notatur, conclusio questio. sed hoc audiendum non est. Primò, quia dictum idem Augustinus lib. de praedestinat. Sator. cap. 4. per lib. 2. de retract. cap. 1. recognoscens, & allegans quidam quæstionem illam, simpliciter illam approbat, & laboratum, inquit, in ea esse pro libero arbitrio, & vicisse gratiam Dei. Secundo, quia ille modus interrogandi, quod Augustinus vult, non est in iudicium dubitantis, quin ex alterius sententia procedentis: nam ille est ordinarius modus procedendi.

dendi Augustini subtiliter inquirentis veritatem. Vnde ad singulas interrogationes statim adhibet responsum, & in ea propria sententia ad talem interrogationem pertinentem satis declarat, & ita ad questionem principaliter propositam resolvendam progreditur. In illa autem quest. cum principaliter proposuisset exponere verba Pauli ad Rom. 9. *Cum enim nondum nati essent, & c.* statim illa ex propria sententia explicare aggreditur, dicens. *Quo ad interiora fidentior factus aggredior. Et primo intentionem Apostoli, qua per totam epistolam viget, tenebo. Nimirum, quod gratia non detur ex meritis, sed ex liberalitate Dei.* Et ad declarandum, & defendendum hoc fundamentum vitur variis interrogationibus, per modum obfectionum, quibus satisfacit distinctione vocationis congruæ, & non congruæ, seu singularis, & communis ex proposito, vel ex generali providentia. Erat totam illam doctrinam assertit, ut maximè propriam, & quasi denuo sibi reuelatam, ut in citatis locis significat. Tertiò hæc mens Augustini ex aliis eius locis colligitur, in quibus per eandem vocationem explicat mysterium diuinæ gratiæ, & prædestinationis, & quia in prioribus operibus suis parum de illa differuerat, hoc ipsum tanquam proprium defectum ipse notat lib. 1. retract. cap. 23. Qui ergo credibile est, in illa præcipua questione non esse loquutum de vocatione ex propria sententia? Quartò si expositionem illam admittamus, tota doctrina, quam Augustinus tradidit in illa questione per septem columnas, à principio usque ad dicta verba, & tamen intueamur superiora, erit inutilis, ac nullius auctoritatis, quod absurdissimum est, & contra omnes, qui postea scripserunt, & questionem illam allegaverunt. Quintò verba illa, & tamen intueamur superiora, nihil colligunt, verum sensum dictum confirmant. Nam si per illa superiora totam doctrinam præcedentem intelligamus, potius inde colligimus, illa omnia tanquam vera, & certa Augustinum supponere, & ex illis tanquam ex veris fundamentis à se iactis principalem questionem resolvere, & definire; si verò particula superiora, (quod verius est,) ad sola verba Pauli, quæ proximè tractabat, referatur, ex illis nihil colligitur contra doctrinam in eadem questione prius datam. Deuenerat enim Augustinus ad interrogandum, quomodo Deus iuste de hominibus conqueretur, si cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat, & non potius de Deo iuste conqueri possunt, quod tam inæqualiter cum eis segerat. Et ut respondeat, dicit intuenda esse superiora verba utique Pauli, nam subiungit. Ait enim paulo ante. Quid ergo dicemus? nunquid iniquitas est apud Deum? Et his respondet non iniquè agere Deum, cum de peccatoribus conqueritur, quia ille non cogit ad peccandum, nec sufficientem vocationem negat. Neque etiam posse eosdem peccatores iuste de Deo conqueri, quod eos non congruè vocet, sicut alios, quia neque in hoc iniquè agit, cum nihil eis debitum neget, & dona sua possit cui voluerit gratis donare. Ex quo verò sensu, non solum non infirmatur superiora, sed potius confirmantur, quia nullum aliud medium expediendæ questionis attulit, sed ex iactis fundamentis illam resoluit. Sextò denique hoc sit evidens, quia etiam post illa verba, Et intueamur superiora, ad idem expressè reuoluitur, nam paulo post dicit. Conqueritur autem iuste de peccatoribus tanquam de his, quos peccare ipse non cogit. Simul etiam, ut hi quorum ipse miseretur, hanc quoque habeat vocationem, ut dum Deus de peccatoribus conqueritur, compungantur corde, atque ad eius gratiam conuertantur. Et paulò inferiorius. Hæc demonstratio potentia Dei, & annuntiatio nominis eius in vniuersa terra prodest eis, ut timeant, & vias suas corrigant, quibus vocatio talis congruit. Et inferiorius in

Epilogo quæst. Præcipitur, (ait,) ut credamus, sed qui potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum reificatione tangatur. Vbi non solum redit ad vocationem, sed etiam declarat in quo consistat utique in actu cordis, non in prædeterminatione. Quia verò non omnis tactus est efficax, subdit, *Qui habet in potestate, talis visio tangit mentem suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem.* Et usque ad finem questionis eandem doctrinam eisdem ferè verbis sepius inculcat: quomodo ergo de illa in superioribus verbis ex propria sententia non est loquutus? Non potest itaque de mente Augustini in illo loco dubitari.

Secundum testimonium non dissimile præcedenti sumimus ex lib. de dono perseuer. ca. 14. Nam de Tyrri & Sidonis dicit. *Etiā credere potuerunt, si mirā illa Christi signa viderent.* Vbi oportet semel notare, loqui Augustinum de potestate, quæ reducere retur in actum, ut ex contextu aperte constat, & est frequens eius phrasit tam ibi, quam in dicta quæst. ad Simplician. & aliis. Vnde in prædicto loco paulo post subiungit. *Nec sic induratum erat cor Tyrriorum, & Sidoniorum, quoniam crediderunt, si qualia viderunt, isti signa viderent.* Et tamen de eisdem addit. *Sed quoniam ut crederent non erat eis datum;* (utique per prædestinationem) etiam vnde crederent est negatum. scilicet, vocatione congrua. Et ideo subiungit, *Ex quo intelligimus habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Non posse certe clarioribus verbis explicare quomodo efficacia vocationis ex congruitate ad vocatum pertineat. Et tam in hoc, quam in præcedenti testimonio oportet aduertere, docere Augustinum eandem vocationem esse posse congruam vni, & non alteri, non certè ex coniunctione, vel defectu auxilij prædeterminantis, iam enim non esset eadem vocatione, si sub vocatione congrua tale auxilium comprehenditur, ergo ex congruitate ad vocatum. Vnde dicit alibi idem Augustinus vocationem interdum differri, ut sit congrua in vno tempore, quæ non esset in alio: sic enim in expositione Psalm. 142. circa illa verba, *Circa exaudi me Domine, inquit, pluiam differebas, ut hauriens imbiberem, non respicerem, quod influeret.* Sic ergo ideo differebas, iam dà, quia anima mea sicut terra sine aqua tibi. Captat ergo Deus secundum Augustinum occasiones vocandi congruè quod certè non esset necessarium, si in prædeterminatione necessitas posita esset.

Tertiò idem probatur ex lib. de prædest. Sanctor. cap. 16. ubi ponens vocationem in interna doctrina, qua homines sunt interiorius docibiles Dei, efficaciam eius declarat, in fine dicens. *Ad hanc vocationem omnes qui pertinent, sunt docibiles Dei, nec potest quisquam eorum dicere: Credidi, ut sic vocaret, prauent enim cum misericordia Dei, quia sic vocatus est, ut crederet, id est, ut congruebat audienti, ut disceret, & cap. 19. similiter ait, Illa vocatione id prorsus agitur, & peragitur, ut credamus, & cap. 20. dicit. Hoc donum gratiæ in illam purpurariam descendit, cui, sicut Scriptura dicit in Actibus Apostolorum, Deus aperuerat sensum eius, ut intenderet in ea quæ dicebantur a Paulo, sic enim vocatur, ut crederet.* In ipsa ergo vocatione ponit illum modum accommodatum recipienti, ratione cuius dicitur, sic vocari, ut credat, quem modum aliis locis per congruitatem ad eum, qui vocatur, declarat. Et in Epistol. 107. ad Vitalem exposuit per illa verba sic eius agis sensum, ut accommodet assensum quod inferiorius dicit fieri, per occultam inspirationem Dei. Inspiratio ergo ipsa quæ est vocatio, quatenus ita datur homini, ut accommodet assensum, quod est dare cum congruitate ad suscipientem, est auxilium efficax.

Quartò idem probari potest ex omnibus locis dicto cap. 5. allegatis, in quibus Augustinus docet, dare Deum efficacem gratiam præparando voluntatem

4. Aliud testimonium prioris non dissimile. Notandum. Aduertendum, eandem vocationem posse esse congruam vni, & non alteri.

tatem, per vocationem occultam, & secretam, adiungendo alia loca, in quibus ait hanc preparationem voluntatis fieri per reuelationem internam, & spirituale delectationem quā infundit, vt sumitur ex l. 2. de peccator. merit. c. 17. & l. de grat. Christi c. 10. & 14. & de predestinat. Sanctior. cap. 8. Et similia sunt loca, in quibus ait, hoc fieri per internam Spiritus sancti persuasionem, quando enim suasio fit modo ita accommodato, audient vt persuadeatur, tunc recte dicitur persuasio. Vnde in lib. de natur. & grat. cap. 25. Magnus est Dominus qui persuadet, quomodo ipse mouit. Et in l. de Spirit. & iter. cum prius in cap. 33. rationem, cur ex duobus audientibus Evangelium vnus credit, & alius non credit, & arbitrij libertate, quia vnus vult, & alius non vult, reddidisset, quia per hoc non satis explicatur donum gratie, addit in ca. 34. Non ideo tantum ista voluntatem diuino muneri tribuendam, quia ex libero arbitrio est, quod nobis naturaliter conceitum est, verum etiam quod visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, vt credamus. siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, & siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate, quod ei veniat in mentem, sed consentire, vel dissentire propria voluntate est. Vbi expendimus in primis non alium modum suasionis internae ponere Augustinum, nisi moralem, & per actus vitales medius obiectis potentias nostras excitantibus. Et his modis, (ait inferius), agit Deus cum anima rationali, vt ei credat, quia credere non potest, nisi sit aliqua suasio, vel vocatio cui credat, & sic, ait, ipsum velle Deus operatur in nobis. Totum erga negotium ex parte antecedentis tribuit vocationi, & suasioni, & specialem misericordiam, & profunditatem mysterij in hoc solum ponit, quod hinc ita suadeatur, vt persuadeatur, illi autem non ita. Et nihilominus concludit, Consentire, & dissentire propria voluntate est, non quia consentire sit solius voluntatis sine adiutorio concomitantis gratiae, sed quia vocatio quantumvis congrua, non adigit voluntatem ad alterutram partem, quam doctrinam habet etiam in lib. 33. Quaestion. q. 68. & lib. de grat. Christi cap. 10. & in l. 7. Confession. cap. 6. notari possunt illa verba, Tu Domine iustissime moderator vniuersitatis, consulentiis, consultiq; nescientibus occulto instinctu agis, vt dum quisque concludit, hoc audiatur, quod eum oportet audire.

Solutio.

Impugnatur.

At potest aliquis dicere, suasionem transire in persuasionem, quando illi adiungitur nouum auxilium praedeterminans, vel intellectum, vt iudicet ita esse credendum, vel voluntate, vt velit credere. Sed contra hoc est in primis, quod numquam Augustinus in omnibus dictis locis hoc insinuat. Estq; profecto mirabile, quod iubeant nos credere Augustinum posuisse discrimē, & rationem in sola physica praedeterminatione, cum Augustinus in illis locis, in quibus principaliter hoc agit, vt declarat quomodo Deus in nobis faciat, vt velimus, semper id per internam suasionem, & vitalem excitationē declarat, nulla facta mentione praedeterminationis & cum rursus inquit, vnde habeat suasio illa, quod tunc persuadeat & non illum, numquam id tribuit soli voluntati, vel praedeterminationi Dei, sed alijs modis per congruitatem ad suscipientem id explicare conatur. Accedit quod ipsum verbum persuadendi, vel nomen persuasionis, non nisi improprissime potest applicari physicae praedeterminationi, cum persuasio fiat vitalis, & humano modo, illuminando intellectu, & excitando affectum, praedeterminatio autē fiat vi quadā de se communi facultatibus non vitalibus etiam non sentientibus, nedum intelligentibus. Deniq; probando secundā partem propositā, quod nimirum Augustinus non in auxilio physico, prauius addito vocationi, sed in ipsa met vocatione, & modo illius ipsiusmet efficaciam posuerit, aperte concludemus, nō in alio modo, quam in congruitate vocationis ad quam immediate sequatur consensus eum auxilio concomi-

tante, ac physice adiuuante efficacitatem praue-nientis gratiae posuisse.

Altera ergo pars negatiua, quam proposui probandam, ex eisdem ferē locis alijs eorum verbis ponderatis eruenda est. Nam in primis in dicta quaest. 2. ad Simplician. semper docet, ratione vocationis tribui Deo nostrum velle, licet enim ait, Quia non procedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propter ea vocanti Deo recte tribuitur, quod tunc volumus, nobis vero tribui non potest, quod vocamus. Non igitur dictum est putandum: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia nisi eius adiutorio non possumus adipisci, quod volumus, sed ideo potius, quia nisi eius vocatione non volumus. Igitur ex sententia Augustini necessarium non est aliquid auxilium praue-niens praeter vocationem, ratione cuius tribuitur soli Deo bona voluntas hominis, sed sufficit vocatio congrua, quam ipse quibus vult, ex sua misericordia confert. Confirmatur valde hoc testimonium, quia vocatio quā in aliquo non est efficax, esset efficax, si ille vellet, & quod sit inefficax, eius duritiei, & resistentiae tribuitur: haec autem vera esse non possent, si efficacia vocationis penderet ex sola voluntate Dei, vel, (quod perinde est), a nouo auxilio praue-niente, ac praedeterminante, quod Deus pro suo arbitrio, vel negat quibus vult, ergo ex mente Augustini non est necessarium tale auxilium. Consequenter euidens est, nisi quis velit dicere Augustinum illam non vidisse, & repugnantia docuisset. Minor autem late probata est in cap. Maior vero patet ex verbis illis, Noluit Esau, & non cucurrit, sed est volens, cucurrit. Haberet ergo auxilium efficax si voluisset, nam sine auxilio efficacem, nec velle, nec currere potuisset, & ideo subdit, Qui etiam velle, & currere vocando praestaret, nisi vocatione contempta reprobum fieret, ergo inefficacia vocationis ex culpa hominis procedit, non ex defectu auxilij praedeterminantis secundum Augustinum.

Confirmatur vterius idem testimonium ex illis verbis, An forte illi qui hoc modo vocati, non consentiunt vocationi, possint alio modo vocati accommodari ipsi voluntatem, & vt illud verum sit, Multi vocati, pauci vero electi, vt quamuis multi vno modo vocati sint, tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi soli sequuntur vocationem, qui ei suscipiende inueniuntur idonei. Et illud non minus verum sit, Non volentis, sed Dei miserentis, qui hoc modo vocant, quomodo aptum erat eis, qui sequi sunt vocationem. Vbi interrogo, quisnam sit ille modus vocationis. Vbi interrogo, quisnam sit ille modus vocationis, de quo his verbis loquitur Augustinus. Nam si auxiliū praedeterminans necessarium est, nullo alio modo potest vocatio esse efficax, nisi quia praeter excitationem habet adiunctam praedeterminationem, neque inefficax, nisi quia datur sine praedeterminatione. Augustinus autem non potest de hoc modo intelligi, quia secundum modum illum omnes vocati sine vlla alia consideratione, & quomodocumque affecti sint, consentiunt vocationi, si illo modo vocentur, & non consentient si tantum excitentur, & non praedeterminentur, quod consequenter concedunt aduersarij: si autem hoc verum est, impertinens est tota illa doctrina Augustini, quam millies repetit, & videbimus. Item quia non recte diceret Augustinus, quod qui nunc consentis, alio modo vocatus, accommodaret fidei voluntatem, sed potius dicere debuisset, quod Deus determinaret eius voluntatem ad fidem. Cum ergo dicit, accommodaret fidei voluntatem, aperte sentit post vocationem congruentem, sine alia praue-niente determinatione Dei ipsam voluntatem cum cooperante auxilio sese fidei accommodare. Praeterea expressē dicit, ex pluribus vno modo vocatis, quosdam sequi vocationem, alios non sequi, & misericordiam singularem Dei erga eos, qui sequuntur vocationem, esse, quia illo modo vtrorsq; vocantur, potius,

Potius, quam alio, ergo ille modus non potest consistere in prædeterminatione, quia vocatio adiunctam habens prædeterminationem, non est data omnibus illis, nam si talis data esset omnibus, omnes consentirent, quocumque modo essent affecti; & sine illo modo in nemine haberet effectum, in xta illam sententiam. Est ergo evidens Augustinum loqui de vocatione eodem modo collata intra propriam rationem excitationis.

Ethoc ipsum his verbis paulo inferius explicat. Cum ergo alius sic, alius vero sic moveatur ad fidem, eademque res sepe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat, quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est. Vbi obiter notari potest vocationem congruam secundum Augustinum talem esse, vt relinquat vocato potestatem applicandi, & coniungendi voluntatem suam ad fidem, seu, prout antea dixerat, accommodandi voluntatem suam fidei. Nam his verbis satis significatur etiam post vocationem efficacem manere determinationem in libera potestate voluntatis, ac subinde non interuenire prædeterminans auxilium, quod inde etiam sit perspicuum, quia si in tali modo auxilij posita esset efficacia, nec dubitari posset, an talis modus futurus esset efficax in Esau, nec in illo haberet locum, quod subdit, *Quod si tanta esse potest obstinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdurescat, &c.* nam contra prædeterminationem euidentissimum est neminem posse obdurescere; quia tamen Augustinus non prædeterminationi, sed vocationi moraliter inducenti efficaciam antecedentem tribuebat, ideo illi dubitationi locum esse considerauit. Et nihilominus adiungit, *Quis dicat modum quo ei persuaderetur, vt crederet, etiam omnipotenti defuisse?* vbi etiam vis verbi persuaderetur, ponderanda est, iuxta alia quæ diximus. Certè qui sincerè, & sine affectione quæstionem illam, & feriem doctrinæ, & Augustini discursum considerauerit, dubitare non poterit, quin ad vocationem efficacem nullum auxilium prædeterminans, vel distinctum à vocatione ipsa, & interno modo persuasionis eius postulauerit.

Secundò hoc confirmat aliud testimonium ex lib. de perseuer. cap. 14. nam certè si differentia substantialis, vt sic dicam, inter vocationem efficacem & non efficacem consisteret in adiuncto, vel non adiuncto alio auxilio prædeterminante, malè Augustinus ex eo, quod Tyri crederent visis illis signis cum quibus non crediderunt Iudei, intulit, fuisse diuersitatem aliam antecedentem inter Iudeos, & Tyrios, vel in lumine naturalis intelligentiæ, vel in cordis obduratione, seu dispositione. Nam sine tali diuersitate cæteris omnibus æqualibus antecedenter hi crederent, & illi non crederent, solum, quia hoc voluit Deus prædeterminare, & non illos, quod quidem consequenter concedunt Aluarez, Ledesma, & alij contrarium opinantes, vt supra retuli; & infra etiam in capite speciali dicam. Quantum vero id repugnet Augustino, constat ex verbis illis; *Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio, &c.* nihil enim tale apparet, si sola prædeterminatio consummat illam differentiam, & ad eam sufficit, imò est tota causa illius. Est ergo talis prædeterminatio aliena à mente Augustini.

Tertiò est magnum argumentum quod vbiq; Augustinus in operibus gratiæ non tribuit soli Deo nisi vocationem, & nunquam nisi ratione illius tribuit Deo, quod faciat nos velle, neque inter vocationem, & consensum factum cum auxilio cooperante ponit medium auxilium præueniens voluntatem, & faciens eam facere: in-

Er. Suarez de Gratia Pars II.

credibile autem est hæc omnia prætermisisse, si hæc omnia in auxilio prædeterminante posita essent. Assumptio probatur ex eisdem locis, nam in quæst. 2. ad Simplician. Velimus, (ait,) suum voluit esse, & nostrum, suum vocando; & nostrum sequendo. Certè si prædeterminatio necessaria est, potius dicere debuisset, suum prædeterminando, quia quidquid est in vocatione præter prædeterminationem, est etiam in eo, in quo de facto Deus non operatur ipsum velle; & quia iuxta illam sententiam prædeterminatio sola est, quæ dat vocationi illam efficaciam. Augustinus autem nihil tale dixit, sed vocationi immediate adiunxit consensum. Optimèque idem probatur ex lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 5. vbi de Paulo ait, *Quod conuersus fuerit, nec gratia erat sola, nec voluntas erat sola; vt autem vocaretur, gratia fuit sola.* Nec aliquam gratiam præuiam ponit, quam Deus solus in illo effecerit. Item probatur ex Enchirid. capite 32. dubitans enim quomodo sit verum illud, *Non est volentis, &c.* cum nemo salutem operetur, & consequatur, nisi volens respondet, *Non nisi quia ipsa voluntas, (vt scriptum est,) à Deo preparatur.* Quod vt in alijs locis tum hic, tum cap. 5. cità is docet, non sit nisi per vocationem & auxilia excitantia. Vnde in eodem loco concludit, *Deus soli Deo qui bonam voluntatem, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* Neutrum autem horum facit Deus prædeterminando, sed adiuuat cooperando, & præparat excitando. Vnde lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum capite 10. sic inquit, *Studium hominis quod dicitur bonum, quamuis cum esse cæperit, adiuuetur gratia, non tamen incipit sine gratia, sed ab illo inspiratur, de quo dicit Apostolus, Gratias autem Deo qui dedit idem studium in corde tibi, vbi notanda sunt illa verba, cum esse cæperit, adiuuetur gratia, optimè enim explicant concomitantiam gratiæ adiuuantis sine præueniente. Alia verò, sed ab illo inspiratur, aperte declarat præuenientem tantum esse per inspirationem, & ab illa duci initium boni studij, & ratione illius dici dare huiusmodi studium in corde.* Et similem doctrinam habet locis allegatis de prædestinat. Sanctorum capite 5. 16. & 19. epistola 107. ad Vitalem, & de Natur. & Grat. capite 32. lib. 83. quæstionum, quæst. 68. & serm. 13. & 15. de verbis Apostoli.

Quartò notari potest in doctrina Augustini non ponit efficaciam præuenientis gratiæ in vno modo mouendi vniformiter, (vt sic dicam,) & eiusdem rationis in omnibus, qui inuertuntur, sed in variis; & morabilibus modis, ergo signum est non ponere illam efficaciam in auxilio prædeterminante: nam illud eiusdemmodi esset in omnibus. Antecedens patet ex dicta q. 2. ad Simplician. ibi, *Si tanta potest esse obstinatio voluntatis, vt contra omnes modos vocationis obdurescat, & ibi, Quis potest credere nisi aliqua vocatione tangatur, & statim, Quis habet in potestate tali viso tangi?* Quia nimirum hic tactus potest esse multiplex, Item de spirit. & liter. capite 24. *Hic modus agit Deus, vt velimus.* Expressius libro 3. de liber. arbitr. capite 18. & libro de Natur. & Grat. capite 67. *Cum vbiq; sit præsens, (ait,) qui multis modis per creaturam sibi Domino seruientem doceat credentem.* & libro 1. contr. duas epist. Pelagian. capite 19. *Quis trahitur si iam volebat? & tamen nemo venit nisi vellet; trahetur ergo miris modis; vt vellet ab illo, qui nouit intus in cordibus hominum, operari.* Et eandem doctrinam habet libro 2. de peccator. mer. capite 5. Item libro de Corrupt. & Grat. capite 5. *Quidre istis sic, illi aliter, atque alij aliter diuersis, atque innumerabilibus modis vocantur, vt reformentur? absit, vt dicamus, &c.* & libro quarto Confession. *Conuertere nos, (dicit ad Deum,) miris modis.* Et libro 5. capite septimo Deo dicit, *Egisti mecum miris, & ecclesijs suis modis,*

modis, tu illud egisti Deus, nam à Domino gressus hominis diriguntur, & viam eius vult. quibus verbis efficaciam gratiæ per moralem directionem declarat, & miris, & occultissimis modis à Deo fieri proficitur, quod in cap. 8. eleganter proficitur, & libro 7. cap. ult.

12. Sed instant, quia potius dicens Augustinus miris modis, indicat altioremodum mouendi, quam moralem, nam moralis motio non est tam admirabilis. Sed hoc non enervat testimonium, fatemur enim, si Deus prædeterminaret physicè voluntatem, futuram esse motionem satis mirabilem, sed præterquam quod esset necessitans, esset vna singularis, & ita non posset in ea verificari illud multis, & mirabilibus modis. Vnde falsum est, & apertè contra mentem Augustini dicere, in morali modo trahendi voluntatem, non posse Deum operari multis, & mirabilibus modis, nam ad persuadendos, & trahendos homines, multa, & mirabilia operatus est, & interius in cordibus hominum quotidie operatur, habens inordinandorum cordum omnipotentissimam potestatem, ut idem Augustinus dixit de corrept. & Grat. capite vigesimo quarto. Et hic sensus evidentissimè conuincitur à fortiori, ex eo quod libro vigesimo contra Iulian. capite quarto. In cordibus impiorum, dicit, facere Deum miris ac ineffabilibus modis, etiam tunc quando peruersè agunt, & obdurantur, quamuis non simili intentione, nec voluntate tunc Deus operetur; & ideo certum sit, tunc non operari prædeterminando, sed ea operando, quæ de se bona sunt, sciens homines ex malitia sua illis bonis esse præuè vsuros.

Vnde potest quintò ponderari id, quod iam in superioribus notauimus, non ponere Augustinum efficaciam auxilij gratiæ in modo agendi Dei bonis, & malis actibus communi, ne inde sequatur ita posse Deo tribui actus non bonos, sicut actus pietatis, & gratiæ, ut contra Pelagian. arguit libro de Grat. & liber. arbit. cap. 17. & 27. & lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. & docet lib. de Spirit. & liter. cap. 33. & 34. Inde ergo rectè colligimus Augustinum non posuisse auxilium efficaciam inefficacia præuij concursus de se generalis omnibus operibus voluntatis, ut actiones positivæ sunt, cuiuscunque ordinis existant, quoniam aliàs aequè Deus faceret, ut homo vellet infirma, & suprema, mala, & bona, quod & est contra excellentiam gratiæ, & alienum à diuina voluntate, ut in libro 3. latè argumentati sumus.

14. Sextum, & simile argumentum ex eo sumitur, quod Augustinus sæpe etiam repetit, non operari Deum per gratiam efficacem in voluntate hominis, modo communi animantibus, brutis, & rebus insensibilibus. Sic enim in dicto libro 2. de peccator. merit. cap. 5. cum dixisset petendum esse à Deo gratiam, adiungit, Nec tamen de hac re solu votis agendum est, ut non subinferatur aditendo etiam nostra efficaciam voluntatis. Adiuutor enim noster dicitur, nec adiuuari potest nisi qui etiam aliquid sponte conatur, & rationem subdit. Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis. Modus autem ille efficaciter applicandi potentiam per auxilium efficacem communis dicitur esse omnibus agentibus naturalibus, brutis, & insensibilibus. Et certè si tale auxilium necessarium est, & solùm sufficit voluntatem inflectere, ut velit, solis votis agendum est, ut tale auxilium detur; imò nec vota adhiberi potuerunt, nisi ad illa faciendâ prius aliquid tale auxilium detur. Neque ab homine postulare oportebit, ut suæ voluntatis efficaciam adiungat, quoniam nisi ita in illo operetur Deus, non potest illam adhibere, si verò ita Deus operetur in homine, non poterit illi non

adiungere, & ita non aliter applicabitur voluntas eius à Deo, quam applicetur appetitus bruti quantum est ex parte huius determinationis. Est ergo hoc valde alienum ab Augustini mente, & doctrina.

Vnde septimam considerationem addimus, quia ubique Augustinus loquitur de hac præuij gratia, quam præparationem voluntatis appellat, sumi locum libertati voluntatis reservat, sentitque semper posse resistere, & contemhere voluntatē, ideoque illi imputari inefficaciam vocationis, quæ omnia non stant cum prædeterminatione, ut supra ostendimus. Assumptum probatur primò ex generali doctrina Augustini, quæ toties voluntas credit alicui moueri illam quia non potest illi resistere, non illi imputari ad culpam, vel ad præuij. Ita habet lib. 3. de liber. arbit. cap. 18. quod recognoscit, & confirmat lib. de Natur. & grat. cap. 6. Quæcumque, ait, ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. Quod ideo verum est, quia tunc voluntas sine libertate consentit, nulla enim alia causa potest ita illam excludere à culpa, si aliàs actio de se peccaminosa sit, ut perinde fuit dicere, sine peccato ei ceditur, ac dicere, sine libertate ei ceditur, id est, causa inducens hominem ad volendum, vel facit eum velle, si ei resisti non potest, sine libertate ei ceditur. Vnde infra iterum interrogat. Potest ergo ei resisti, quæcumque illa sit regit? Et respondet, potest planè. Ut autem dixi, licet id tradatur de potestate resistendi tentationi, tamen ratio in qua fundatur in motione ad bonum, locum habet. Nam sicut tentationi sine culpa ceditur, si eò possit resisti aliquo modo saltem per gratiam, ita motioni ad bonum sine laude ceditur: ac proinde sine libertate, si ei resisti non possit. At verò, qui credit vocationi Dei, est dignus laude, ut fides docet, & Augustinus passim; ergo talis motio ita est causa voluntatis, id est, volitionis hominis, ut possit homo ei resistere.

Et ideo frequenter repetit Augustinus, vocare hoc, vel illo modo esse solius Dei, venire autem semper esse in voluntate, vel sola si non venit, vel adit si venit, ut dixit de grat. Christi, cap. 14. & dicto cap. 34. de præuij. & litera. His modis, (ait scilicet, vocatione, & Deo suasiōe) ipsum velle credere operatur Deus in ipso homine, ut ad consentiendum vocationi Dei, vel dissentiendum, propria voluntate. Quæ verba faciunt sensum compositum, & includunt potestatem resistendi, ut circa Concilij Tridentini explicauimus. Et ob eandem potestatem & libertatem dicit in q. 68. ex 83. licet homo vocatus & veniens non possit sibi tribuere, quod vocatus sit, posse nihilominus sibi tribuere, quod veniens sit, inquam non soli, sed adiuto, ut in alio loco declarauimus. Et in eodem sensu dixit tract. 4. in Ioannē. Eo quod adiungis voluntatem tuam Deo, castificas te ipsum, castificas te, non de se, sed de illo, qui venit, ut habuit in te. Tamen quia agit ibi aliquid voluntate, ideo & aliquid tribuitur est, ita ut dicat, Adiuutor meus es. Denique in lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 21. Augustino attribuit, sic habetur. Manet ad querendam salutem arbitrii libertas, sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem, vel elat, vel sequatur, occasione salutis, hoc est, inspiratione Dei. Vbi aliqui inspiratione exponunt, id est, prædeterminatione, contra vim verbi, & contra omnem vim, & contra contextum, quia per illa verba inspiratione Dei, exponit illa occasione salutis, ut patet ex illa particula, hoc est, occasionem autem salutis appellat quod dixerat, monente, & inuitante Deo. Inspiratio ergo per alium est, quam ipsa motio, & inuitatio, quæ per illuminationem, & piam affectionem à Deo interiori fit. Vnde concludit ille Auctor, seu Augustinus. Insistit ergo salutis nostra Deo miserante habemus, ut acquiescimus salutiferæ inspirationi, nostra potestatis est. At certè acquiescere prædeterminationi non esset potestatis nostra, sed necessitatis.

Confirmari potest antecedens, in principali ratione

Confirmatur.

ione assumptum, quia Augustinus locis supra citatis dixit, cum eadem vocatione hominem interdum nolle, & alium non velle, vel eundem in diuersis temporibus, vt ex Psalm. 142. allegauit, & de Tyrrijs, & Sidonijs comparatione Iudaorum dixit de don. persever. cap. 14. & supra tractatum est, ergo ex sententia Augustini illa vocatione ex natura sua talis est, vt ei resisti non possit. Vnde non solet explicare Augustinus efficaciam gratiæ, aut vocationis per impotentiam resistendi, aut dissentendi, sed per certam effectus consecutionem, sicut de don. persever. c. 14. dixit, media prædestinationis esse illa, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur. Et in lib. de Prædestinatione. Sanctior. c. 8. de hac gratia loquens, ait, *A nullo dabo corde respiciatur, quia ex intentione Dei est, vt non respiciatur, vt subdit dicens, Ideo enim tribuitur, vt cordi diuitia penitus auferatur, & ideo etiā tribuitur, sicut apertū est ei, qui vocatur, seu sicut sit ei congruere, vt vocantē non respiciat.* Sicut dixit q. 2. ad Simplician. ergo ponit Augustin. efficaciam salua potestate resistendi: talis autem efficaciam non potest esse prædeterminationis, vt supra ostendi, etiā ex aduersarij ortu confessione, est ergo congruentia præcognita à Deo, vt satis expresse in verbis proximè citatis Augustinus declarauit.

18. Confirmatur.

Denique confirmari potest idem antecedens ex alio principio supra posito in doctrina Augustini, homini sufficienter vocato, & non consentienti, culpæ attribui, quod vocationem contemnat, ei quæ resistat, vt expresse dicit de Esau dicta q. 2. ad Simplician. & de Pharaone dicta q. 68. & 83. & vniuersaliter ibi ait, *Qui noluerunt venire, non debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam vt venire vocati, erat in libera eorum voluntate.* Idem habet 2. de peccator. merit. & remiss. c. 17. & in Enchiridion. c. 64. & de natur. & grat. c. 67. Hinc ergo colligimus vocationem sufficientem quātum ex se est, esse efficacem, nisi homo ei resistat, ac proinde illi eidem auxilio quod est efficax, quando ei non resistitur, posse resisti. Probatur hæc illatio, quia si vocationi sufficienti resistere culpa est, ergo illa vocatione dat proximam potestatem efficiendi, ita vt possit reduci in actum sine alio præuio auxilio, si voluntas velit. Nam si alia motio esset necessaria, cum hæc non datur, nec fit in hominis potestate, non habet homo per solam vocationem priorem proximam potestatem consentiendi illi, ac subinde homini non consentienti tali vocationi, non potest id ad culpam illi imputari; quia non habet in potestate sua consensum, & quod non est in potestate nostra, etiā nisi non fiat à nobis, non imputatur nobis, vt proximè ex Augustino dicebamus. Et augeatur hæc ratio in eadem doctrina Augustini, quia auxilium efficax est necessarium, vt de potestatem agendi, & consentiendi, quia præparat voluntatem, vt velit, vt patet per Augustinum epist. 107. & alijs locis supra citatis: per illam autem præparationem datur voluntati potestas piè operandi, teste eodem Augustino lib. 1. Retractat. c. 22. & lib. 2. cap. 1. & in Enchirid. cap. 32. & serm. 10. de verb. Apostoli. Imò lib. de grat. & liber. arbitri. c. 16. dicit dare vires efficacissimas voluntati, ergo vocatio efficax dat potestatem agendi, & consentiendi; ergo si non est in potestate hominis facere, vt vocatio efficiens sit efficax, non potest illi tribui, quod resistat.

19. Sumitur.

Octauam rationem sumo ex eo quod in doctrina Augustini, neque Angelis, neque hominibus in statu innocentie fuit necessaria prædeterminatione physica ad suam conuersionem, vel ad resistendum temptationi, ergo per se non est necessaria ad actus supernaturales, neque ex vi præuij concursus Dei, neque propter actum excellentiam, seu supernaturalitatem, ergo neque in statu naturæ corruptæ est necessaria illis titulus, neque etiā propter corruptionem naturæ, tum quia sicut tentationes, & difficultates insurgentes ex hac naturæ corruptione, non phy-

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

sicè, sed moraliter inducunt ad malum, ita contra illas efficax esse potest in eodem genere moralis inductionis gratiæ illuminantis, & inspirantis, tum etiā, quia illa necessitas non posset esse ad singulos actus, iuxta doctrinam in lib. 1. & 2. datam, quod etiam est contra rationem auxilij efficacis, vt ex dictis in principio huius libri constat. Ergo si verum est illud principium, manifestum est non posuisse Augustinum prædeterminationem physicam vt necessariam ad opera gratiæ, ac proinde non posuisse in illa efficaciam auxilij, seu vocationis. Principium autem illud, seu antecedens probamus ex lib. de corrept. & grat. ca. 11. & 12. vbi Augustinus ait, Adamo in statu innocentie datam esse gratiam, qua posset perseverare, vitando peccatum, non tamen esse datam gratiam, qua illud vitaret, & perseveraret. Et idem dicit de Angelis. Dices hoc verum esse de Adamo, & de Angelis malis, quia illis non est data gratia efficax non verò de Angelis bonis, quibus est data. Sed contrarium de omnibus Angelis sentit Augustinus non esse illis datam gratiam de se efficacem, ait enim voluisse Deum in illis experiri libertatem arbitrij, & subdit, quod sicut mali Angeli per suum arbitrium ceciderunt, ita boni per suum arbitrium steterunt; ergo non ex prædeterminatione gratiæ steterunt, alias nihil in eo discrimine libertas arbitrij ostenderetur, nec esset differentia inter homines, & Angelos, quam ibi Augustinus ostendere vult. Scio in nostra sententia etiam esse difficile illam differentiam, quam difficultatem in superioribus tractauimus, & infra iterum tractando de dono perseverantiae euoluenda est, nunc nobis sufficit, quod si Angelis bonis fuit necessaria prædeterminatio, sicut nobis esse dignum, non potest subsistere quod Augustinus ait, in Angelis, & primo homine voluisse Deum experiri libertatem magis, quàm nunc in hominibus lapsis experiatur. Quod si locus hic cogere alieni non videatur, profectò superiora videntur satis superque sufficere: multa enim, vt existimo, conuincunt, posuisse Augustinum auxilium efficax præueniens in vocatione congrua non prædeterminante, sed modo accommodato inducente hominem infallibiliter ex præscientia Dei. Et omnia simul sumpta hanc fuisse mentem Augustini satis ostendunt, necque id euidentius expendendo loca Augustini, in quibus contrariæ sententiæ Auctores opinionem suam fundare conantur.

Instantia.

Euergitur.

CAPVT XLVII.

Utrum Augustinus physicæ prædeterminationi aliquando faueat.

Respondemus nullam inueniri apud Augustinum testimonium, in quo id doceat, vel ex quo satis probabili coniectura talis mens Augustini colligi possit. Hanc assertionem probamus discurrendo per omnes modos loquendi Augustini, quos vel ab alijs nobis obiectos inuenimus, vel nos notare, & inducere potuimus: non enim semel, sed sæpius, totā Augustini doctrinam, præsertim ad hanc materiam pertinentem, euoluimus, non quidē ex præiudicio, & animo defendēdi propriam sententiam, sed omnino inueniendi mentem eius, nihilque occultandi, quod ad illam indagandam conducere posse videatur.

1. Respondetur. Probatur responsio.

Primam objectionem sumunt ex errore Pelagij, contra quem Augustinus disputauit, supponuntque Obiectio ex Pelagium non errasse in gratia excitante, sed in errore Pelagiano, quia Deus efficaciter præuenit voluntatem hominis, & effecit, vt liberè consentiat. Nam omnem gratiam excitantem, quam D. Aug. ponit, dicunt, ad-

2.

Pp 3

misisse